

Quinto, quod quando Veneti mustum vel vinum emebant vel vendebant in civitate, recipiebatur ab eis jus, pro qualibet vegete unum deremum novum, et quando portabant ex civitate duos dememos novos, ulterius non dent supradictum jus quia demissimus eis. — Sexto, quod illa jura que dabant in civitate Tarsous, pro qualibet salmam in introitu et in exitu, et etiam in peliparia in emendo vel vendendo coria, similiter in portu intrando et exeundo cum navibus suis, amplius non dent Tarsensi, quia demissimus eis. — Septimo, quod omnes Veneti qui fuerint Veneti et filii Venetorum possint emere lanam de zambelotis et portare extra terram nostram vel quascumque mercationes, secundum quod concessimus eis in alio privilegio nostro. — Octavo, quod illud jus, quod pro balla de pannis dabant in pannis mensuratis, amplius non dent quia demissimus eis. — Nono, quod per officiales nostros Veneti non cogantur ad recipiendum frumentum vel sal, nec alia aliqua, nec violenter faciant eos operari. — Decimo, quod si aliquis furatus fuerit de rebus Venetorum et reperiatur fur, capiatur per nostram curiam et incarceretur; res tamen furate reddantur domino suo, sed fur remanebit ad mandatum nostre curie et castigationem. Et si aliquis de populo nostro vel de subditis fuerit debitor aliqui Veneto et propter debitum incarcerabitur, non exahatur de carcere donec reddet debitum, vel det fidejussorem, quod exeat et quando poterit reddat. — Supradicti vero Veneti erunt dilecti et honorati et conservati, persone et bona eorum a nostra regia majestate et a nostris officialibus; et ex tunc quod nunc nullus habeat potestatem a regia nostra majestate subditis, a majoribus vel minoribus addicere, vel resistere nostris mandatis, sed sic remaneant firma et rata singula et omnia sicut superius mandavimus sine contradictione et resistantia a quocumque homine. — Et ad confirmationem omnium supradictorum apposuimus cirografum nostrum super pretiosum Privilegium et sigillavimus nostre regie majestatis aurea bulla. Datum anno incarnationis Domini millesimo trecentesimo trigesimo tertio, et antea computationem scilicet Armenorum septingentesimo octuagesimo secundo, mense novembris, die decima, sub cancelleratu honorabilis viri dominii *Joannis*.

[Liber Pactorum, III, f. 49].